

# M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## *Quid Melissa nobis narrat ?*

... *Hoc anno ver Latinum fuit imprimis Italicum.*

☞ p. 2

... *Flosculus nobis e Finnia offertur.*

☞ p. 7

... *Baldwinus Cabillavius vobis iam est bene notus !*

☞ p. 8

... *Si inspicimus sensum verbi, quod est «secta», fieri potest ut de sectis aliter cogitemus.*

☞ p. 10

... *De moribus antiquis, atque imprimis de servitute, ecce secunda symbola.*

☞ p. 12

... *Orbis Latinus fervet multis propositis: ecce nonnulla praeconia ...*

☞ p. 13

... *et novissimos nuntios ...*

☞ p. 15

... *Quid ? Nomen nondum dedistis ad quendam conventum hac aestate participandum ? Tempus est properandi !*

☞ p. 16

# DOCERE



Ad illustrandum conventum  
«Docere»: Chiron et Achilles  
(Herculaneum -  
in museo Neapolitano)

# VER LATINUM IN ITALIA

COMMENTATUR GAIUS LICOPPE

**A**loysii Miraglia fama in orbe Latino anno 1997 multum est aucta, cum Academiae Latinitati Fovendae conventum in Finnia habitum participaret ibique una cum nonnullis discipulis secum adductis palam ostenderet quo vivo modo linguam Latinam eos in schola doceret.

Tunc in animum iam induxerat conventum in Italia instituere, ubi de novis methodis ad linguam Latinam celerius iucundiusque tradendam late disputaretur.

Ipse Aloysius, cum lyceum classicum frequentaret, summo cum taedio institutionem Latinam Graecamque passus erat. Harum linguarum aversatio, quam in schola conceperat, inexpectato casu in amorem mutata est. Consuetudinem enim amicitiamque iunxit cum vetere philosopho qui vividiore docendi modo utebatur. Ab eo tempore Aloysius cogitat de linguarum classicarum institutione renovanda temporibusque nostris aptanda. Ipse nunc docet in lyceo oppidi Montellae, quod in montibus Appenninis situm est atque ab urbe Neapoli circiter 80 chiliometris abest.

Maioris facilitatis causa statuit in ipso Montellae oppido conventum instituere, ad quem mense Aprili a. 1998 participandum hos omnes invitavit, qui in toto orbe terrarum aliquid conferunt ad institutionem Latinam vel Graecam magis efficacem aut attractivam faciendam.

Hac invitatione libenter accepta, Melissa moderatores in itinere Bruxellis Neapolin brevem stationem Romae fecerunt, propterea quod profestrix Milena Minkova Bulgara, quae linguam Latinam in Pontificia Universitate Grego-

riana docet, eos certiores fecerat de «die festo Latinitatis» a.d. X Kalendas Maias celebrando. Hora sexta decima et dimidia universitatis aula refertissima erat. P. Iosephus Pittau S.I. rector magnificus praesidebat, sed Milena Minkova, quae totam rem ordinaverat, singulas celebrationis partes introduxit.

Imprimis in albo parietali monstratae sunt memoriae conventus a. 1997 in Finnia habiti; nam Institutum radiophonicum televisificumque Finnicum per multas horas inter conventum acroases resque gestas in visotaenias recepit, e quibus summam semihorae artificiose composuit condiditque in visocasetam VHS. Plausus maximi impertiti sunt huic visocasetae in laudem Latinitatis vivae mirum in modum compositae, cui titulus est «Vinculum Amicitiae».

Postea professor Thomas Pekkanen Finnus acroasin fecit de Latinitate hodierna. Itinera et progressus Latinitatis vivae palam monstravit ex tempore loquens; nam si verba monent, exempla magis trahunt.

Sequebatur ludus scaenicus c.t. «De Thobi viro iusto», cuius argumentum Milena Minkova de Vetere Testamento deprompserat et quorum partes facete egerunt universitatis alumni.



*Inter ludum scaenicum c.t. «De Thobi viro iusto»*




In fine duo alumni compositionem Latinam recitaverunt.

Ad rem iucunde finiendam, omnes invitabantur in vicinum oecum ad potiones crustulaque sumenda. Inter participes erant archiepiscopus Marius Rizzi et P. Carolus Egger et multi sodales Academiae Latinae.

Paulo enim ante factus erat Academiae Latinitati Fovendae consessus annuus, ubi novus praeses erat eligendus. Maximam suffragiorum partem obtinuit Thomas Pekkanen, sed non statim electus est praeses. Manus Itolorum sodalium pausam petivit atque secessit. Reversi dixerunt fieri non posse ut homo non Italus Academiae praeses fieret. Obstupefacti alii sodales poposcerunt Academiae statuta (res enim mira: nullus eorum exemplar statutorum umquam habuit). Tunc allata sunt folia machinula scripta, quorum in articulo, ubi de praeside eligendo statuebatur, inter lineas manu addita erant haec verba: «[praeses] natione Italus».

Multi non Itali sodales valde stomachati sunt hac exclusionem. Magnus ortus est tumultus, quo tamen non impeditum est quin prima electio pro




«Docere»: pulchra frons Villae De Marco, conventus sedis.

nulla haberetur. Insequenti electione professor Luiselli Italus praeses factus est. Thomas Pekkanen sibi conscius se de Academia iam bene meruisse nuntiavit se eam nunc relinquere, sed professor Robertus Schilling, qui suum vicepraesidis munus deponere, eum pathetice obsecravit ut in Academia maneret acciperetque munus vicepraesidis fungendum, id quod in fine accepit.

Post hanc Romanam stationem, properandum erat ad conventum, cui Aloysius Miraglia titulum dederat «Docere». Iam Iovis die 23 m. Aprilis oratores Neapoli exspectabantur. Pernoctatio eis offerebatur in lauto deversorio Regali, ad oram maris sito, iuxta amoenum portum Sanctae Luciae castellumque Ovi.

Veneris die mane facta est conventus sessio inauguralis. Plerique pedibus, ceteri vecti Institutum Italianum Studiis Philosophicis Fovendis petiverunt, quod sedem habet in aedibus q.n. «Palazzo Serra di Cassano». Eius maxima aula refertissima erat ad salutationes acroasesque inaugurales auscultandas. Aloysius Miraglia ad verba palam facienda etiam illum grandaeum philosophum invitavit, qui sibi quasi Mentor fuerat.


Post celebrationem conventus oratores in deversorium Regale redierunt, ubi ad prandium invitabantur. Inde autoraedis longis Montellam translati sunt atque in suum quisque deversorium ducti. Vespere, postquam Montellensis municipii magistratus participes salutavit, in caupona Tiae (v. Zia) Carmelae totius oppidi optima praebita est cena.



«Docere»: fieri non poterat ut Dominus Lambertus Pigrini non adesset, cuius domus editoria ELI tot optimos libros didacticos edit, inter quos «Juvenis» et «Adulescens».

Antequam de ipso conventu nonnulla referam, maxime gratulandum est Aloysio Miraglia plurimis de causis. Ad tantum conventum instituendum valuit satis magnam pecuniae copiam obtinere, quam praecipue praebuerunt Intitutum Italicum Studiis Philosophicis Fovendis, provincialis administratio et ipsum Montellae municipium. Effecit ut undique advenirent praestantes oratores, non solum ex Europa sed etiam ex America, quin etiam e Corea et Africa. Quos magnifice tractavit. Magis mirandum est quod circiter centum sexaginta quinque participes allexit, pleurosque magistros. Plures etiam fuissent, ait Aloysius, si Romae conventum instituere potuisset. Ipsum Ministerium Educationis Nationalis rei favit: nam magistris permissum est ut scholam per unam septimanam relinquerent ad conventum participandum. Haec omnia non sine maximo labore facta sunt, quem indefesse suscepit Aloysius Miraglia una cum Thoma Borri, iuvantibus discipulis nonnullisque amicis.

Conventus propositum Aloysius sic definit: discipuli nullo modo informari possunt ad humanitatem, nisi linguam Latinam - utinam et Graecam - adeo discunt ut eam omnino calleant; curandum est ut discipuli velint et cupiant Latine et Graece discere; demonstrandum est hunc finem



*Aloysius Miraglia, non solum laboribus exanclatis defessus, sed infeliciter febricitans inter conventum.*

attingi posse, dummodo viae rationesque, quibus linguae classicae tradi solent, penitus immutentur.

Statuendum erat etiam de lingua in conventu adhibenda. Propter nimis multas linguas vernaculas «Babelica» confusio fieri solet ex interpretibus ex tempore conantibus orationes convertere. Ergo, cum participes ducerentur linguam Latinam callere, Aloysius sermonem Latinum elegit, quo oratores uterentur in acroasibus.

Saturni die (25 m. Aprilis) hora nona incohatae sunt acroases. Quae fiebant in magno praedio medio in oppido sito, quod municipium conventui praebebat. Vocatur «Villa De Marco», propterea quod hanc villam sibi exstruendam superiore saeculo curavit quidam vir locuples huius nominis. Hoc praedium nunc pertinet ad municipium; viridarium factum est publicum. Duo ibi sunt aedificia, ubi secundum hodiernam consuetudinem eodem tempore habitae sunt binae series acroasium. Itaque fieri non poterat, ut singuli participes omnes acroases auscultarent. Mox tamen cunctae prelo mandabuntur atque in lucem edentur, quare de eis pauca solum referam.

Imprimis notandum est fere omnes acroases, necessario Latine prolatae, facile intellegibiles fuisse, quamquam nonnullae differentiae fuerunt in pronuntiatu. Magis mirandum est quod auditores, quamquam eis licebat sermone vernaculo uti in interrogando, hac licentia numquam usi sunt. Solum rarissimi oratores non valuerunt interrogationibus Latine respondere; eorum verba vernacula in Latinum sunt translata.

Praeter villam «De Marco» municipium praebuerat magnum aedificium, ubi fierent



*Terentius Tunberg, qui longum iter fecerat ut nuntiaret novum ver Latinum in America ortum esse.*



nonnullae sessiones plenariae. Ibi Saturni die acroasin magnam fecit professor Michael von Albrecht, universitatis Heidelbergensis, qua explicavit «Quid lingua litteraeque Latinae ad homines educandos conferre possent». Alteram magnam acroasin fecit professor Terentius Tunberg, universitatis Kentuckianae, qua proposita explicavit suorum conventiculatorum Latinorum quae iam tertio anno celebrantur.

Dominico die sessiones plenariae in auditorio municipali antemeridiano tempore factae sunt. Primam acroasin fecit professor Andreas Fritsch, universitatis Berolinensis, ubi narravit «Quid Germani sentirent de lingua Latina viva voce docenda». Ei re vera magis magisque in annos favere videntur. In hornotino v.g. Conventu Palaeophilologorum Germanorum participes fuerunt numero circiter septingenti; ex eis decima pars interfuit «Officinae Latinae», quam ante nonnullos annos instruxerunt professores Sallmann et Fritsch ad institutionem vivam demonstrandam. Hac occasione professor Andreas Fritsch reverentiam doctori P. Caelesti Eichenseer praestitit, qui tantam operam dedit et dat ad Latinitatem vivificandam. Postea acroasin fecit professor Theodoricus Sacré, qui egregie monstravit quomodo in studiorum universitatibus tam Antverpiensi quam Lovaniensi praelectiones faceret «De Catullo Latine illustrando».



*A sinistra ad dextram stant Gaius Licoppe, Thomas Borri Aloysii cooperatores in conventu praeparando et Christianus Laes Belga.*

Martis die 28 participes Pompeios vecti sunt, ubi dux vestigia veteris oppidi per totum diem monstravit explicavitque. Infeliciter tempestas fuit pessima et pluit urceatim magnam diei partem. Iucundum prandium praebitum est in ipsa palaestra thermarum centralium.

Magna in Italia fuit fama conventus «Docere». De eo fuse relatatum est et in televisione (RAI, Italia Uno et in aliis regionalibus) et in omnibus actis diurnis. Commentationes diurnariorum plerumque favebant conventus propositis; tantum in diario «Repubblica» scriptor nomine Placido plus minusve dissentiebat.

Etiam scitu dignum est id quod Iohannes Carolus Rossi in acroasi rettulit: in Italia, petente Sodalitate Mediolanensi, facta est inquisitio demoscopica de institutione Latina, e qua comperta sunt haec: non pauci homines (52%) censent discipulos in schola educandos esse ad humanitatem, non ad munus quoddam; 62% linguam Latinam esse utilem ad civem Europaeum formandum; 35% eam esse novis methodis tradendam; atque 25% (vix credibile!) eam fieri posse linguam Europae communem.

Ad summam dicere licet hunc conventum maximi momenti fuisse. Posthac nemo sermonem Latinum



*Milena Minkova, Gaetanus Gantar, Thomas Pekkanen*



*Iohannes Carolus Rossi, Terentius Tunberg,  
Theodoricus Sacré, Demetrios Koutroubas*

vivum adhuc ignorare poterit atque, ut ait Aloysius, de eius utilitate quidem didactica nemo iam potest dubitare.

## COGITATIONES NONNULLAE POST CONVENTUM

«Qui hunc conventum [«Docere»] instruendum parandumque curaverunt illud sibi persuasum habent, nullo prorsus modo vere et absolute discipulos nostrarum regionum ad Occidentem vergentium ad humanitatem informari posse nisi linguam Latinam saltem - utinam et Graecam - adeo discant ut omnino calleant.»

His verbis in lauto programmate divulgatis Aloysius Miraglia incipit conventus proposita patefacere. Quae legendo interrogare licet quot homines, inter nostrates qui in rebus publicis gerendis satis ponderis habent, sibi quoque persuasum habeant linguam Latinam esse viam ad humanitatem adipiscendam. Quid re vera sit humanitas, quae sint rationes cur etiam nostris temporibus deceat Latine discere, haec sunt fusius investiganda et disputanda... sed alia occasione data, cum conventus solum spectet ad docendi methodos.

Post conventum vix quisquam de vivae Latinitatis utilitate in docendo quidem adhuc dubitare potest. Sed si homines Latine loquendi periti fiunt, seu docendo seu discendo, usus huius linguae sua sponte et insuperabiliter dilatabitur. Sic iterum surget sermonis Latini implicatio historica et politica, de qua in acroasi mea tractavi.

Quamquam et Finnicus superioris anni conventus et hornotinus conventus «Docere» Latinitatem vivam magnifice illustraverunt, nolimus credere eam nunc acceptam esse. Non omnibus placuit conventum Finnicum totum

Latinum fuisse, id quod Thomas Pekkanen expertus est cum a munere praesidis Academiae fungendo contumeliose exclusus est, ut supra narravi. Sed hoc non sufficit; novus enim praeses sodales mox convocabit ad consessum extraordinarium participandum, quo mutentur Academiae statuta. Oportebit omnes sodales esse universitarios professores; licebit in operibus acroasibusque linguis vernaculis uti. His novis regulis doctor P. Caelestis Eichenseer, qui non est academicus professor, ab Academia excludetur, magno cum plausu multorum, quorum invidiam excitavit eius multifaria doctrina Latina facilitasque loquendi.

Multis in regionibus iam imminet hostium Latinitatis victoria. Hoc fit, exempli gratia, in Anglia et in Scotia, ut ex oratoribus inde oriundis comperimus. Scoti etiam dicunt se ultimam spem ponere in quodam incitamento, quod praebeat Communitas Europaea.

In Francogallia condicio vix melior est. Inter oratores tantum duo Francogalli fuerunt, Clemens Desessard, iam diu pernotus propter suam methodum Assimil copiose diffusam, et Patricius Bougy, qui docet in Lyceo Cadomensi (v. Caen in Normannia). Quem virum nobis bene notum iam decem fere annos non conveneramus. Illo tempore praeses erat Cadomensis Academiae linguas classicas docentium; complura seminaria Latina participavit atque in schola partim methodo viva uti solebat in docendo. Cum discipulis edebat parvulum periodicum, cui titulus erat «Libellulus». Una cum collega Iohanne Iacobo Bertrand, Ambianorum (v. Amiens) Academiae praeside, conventum didacticum Cantiliaci (v. Chantilly prope Parisios) anno 1989 instituerat, quo P. Caelestem Eichenseer nosque ad acroasin faciendam invitaverat. Sexaginta circiter magistri magistraeque participaverunt, qui obstupefacti P. Caelestem Eichenseer Latine loquentem auscultaverunt atque a me Francogallice loquenti non minus mirantes multa omnino inaudita compererunt de Latinitate post antiquitatem culta.

Post hunc conventum iucundum et nostro sensu frugiferum, iam nihil de Patricio Bougy audivimus. Cur hoc factum esset, nostra magni intererat. Interrogatus Patricius narravit se post illum conventum a tutela Parisiensi incusatum esse, quod extremis dextris partibus faveret. Est mos in Francogallia hodierna, si quem a munere amovere volunt regentes, eum huius generis opinionum insimulare. Patricius non satis pugnax tunc maluit praesidis munus deponere.

Caveant ei, qui Latinitati sincere favent, ne pereat nostra hereditas culturalis Graeco-Latina. Cogitandum est de consociatione ubi non commisceantur veri amici et hostes dissimulati. 🐦



# PRIMUM CARMEN

CECINIT PAULINA ALMONKARI

**T**uomo Pekkanen *Melissae* salutem!

Semestri vernali in Universitate Helsinkiensi praesentibus sedecim studentibus scholas de poesi Latina mediaevali habui. Pro examine quidam participes versus scripserunt, quibus ostenderent se regulas rationis rhythmicae recte intellexisse. Ex versificationibus mihi datis optimam iudicavi neniā, quam Paulina Almonkari composuit. Quamquam sine dubio est primum carmen, quod Latine scripsit, neniā illa indolem poeticam tantopere praefert, ut digna mihi videatur, quae amicis *Melissae* legenda detur. Liceat mihi pauca praefari, ut ratio rhythmica et argumentum Paulinae facilius et melius intellegantur.

In singulis strophis alternant versus octosyllabi descendentes, in quibus ultimum vocabulum in paenultima syllaba accentum habet, et hepta-

syllabi ascendentes, in quibus acuitur antepaenultima. Rima est monosyllaba abab (cantat - natulo - lentat - filio).

Argumento carmen divisum est in duas partes. In primis tribus strophis tranquillitas vespertina variis picturis poeticis delineatur: ventus remittens, solis occasus, gramina camporum requiescentia, avium lentus volatus in placido lumine vespertino, denique litus maris, ad quod semita, arbore solitaria adstante et sideribus iamiam apparentibus, desidit.

Ex quarta denique stropha apparet in litore esse matrem filiolo neniā sive lallationem canentem: sonitum undarum puerulo cantare, campum noctis somniorum esse praeparatum; quam ob rem ludos diurnos esse deponendos, oculos claudendos, somnum capiendum. Iuxta filiolum iam dormientem mater vigilat luna plena in alto caelo radiante.



VENIT VESPER  
Paulina Almonkari

Venit vesper, cadit ventus,  
occidit sol languide,  
fatigatus iam est mundus,  
fenum et in requie.

Aves albas, aves lentas  
pingit lumen placide,  
sumunt aureolas alas  
aves purae candidae.

Arbor una, nigra, pia  
stat clementer, tenera,  
ad litus desidit via,  
mox apparent sidera.

Audi, tibi unda cantat,  
sonat aqua natulo,  
vocem mitem mare lentat  
canit carmen filio.

Fluit sonus soporatus,  
claudet claros oculos,  
campus noctis praeparatus,  
ludos pone blandulos.

Dormi, puer, cape somnum,  
quies cara tegitur,  
radians in caelum altum  
luna plena volvitur.



20

# BALDUINUS CABILLAVIUS

(1568 - 1652) E S.I. POETA LATINUS (III)

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ


## III. Specimina poeseos Cabillavianae et epistolae quaedam ad Cabillavium datae

### 1. E Magdalena (Antverpiae, 1625) (lib. II eleg. VI: *Aestus Magdalenae euntis ad Christum*)

Eloquar? Incertum gemino cor distrahit hamo;  
hinc amor, inde rapit frigida cura, timor.  
Ambo pari damno, votis discordibus ambo:  
congelat hic, alter flammat, uterque necat.  
Impare sic aestu glaciemque alternat et ignem,  
qui flagrat argenti mistus amore timor.  
Hinc cor frigidius Scythica nive durat et alget,  
acrius Aetnaeo deflagrat inde rogo.  
Stat par lucta, pari luctatur uterque periclo:  
vincere pugnat amor, pugnat et ipse  
metus.  
Ut flammae nil flamma, nihil cedrus obvia cedro,  
nil Austro Boreas, nil aqua cedit aquae,  
sic, ubi iusta pari conspirat in arma duello,  
nescia res vinci, vincere nescit Amor.  
In varias sese qua mens secat anxia curas,  
Magdalis ambiguo statque labatque gradu.

Stabit an ibit? Amor trahit hinc, timor abstrahit  
illinc:  
cor miseris scindit ille vel ille modis.  
Quo rea se flectet? Mulier temeraria Numen  
ambiet, ut nectat vincula grata Deo?  
Bullatasque fores excindet ovante securi,  
affundens hilari tristia pocla mero?  
Non ea mens nec tanta suis fiducia votis;  
spes tamen impellit quo vetat ire timor.  
Nec tecum aut sine te potis est rea vivere, lesu:  
das animam et dubio munere dando rapis.  
Ah cui nunc oreris vitae alter Eous, an idem  
ambiguo in nimbo mortis eclipsis eris?  
Quam diu adhuc trepidam lis dividet anxia  
mentem?  
Perpete sub lucta vivere nonne mori est?  
Morte magis nocet haud vitalem vivere vitam.  
Mors unam, innumeras vita dat aegra  
neces.

### 2. Epistolae selectae ad Cabillavium datae



a. Balthasar Moretus  
[Antverpia] ad P. Balduinum  
Cabillavium [Casletum], 21 V  
1625

(inedita; servatur Antverpiae in Museo Plantiniano,  
cod. m.s. Arch. 138, p. 186)

Balduino Cabillavo Reverendo in Christo Patri.

Diuturnum silentium meum non longa scriptione,  
sed re ipsa compenso, foliis nimirum omnibus  
*Magdalenae* tuae impressis. De tribus erroribus,  
qui in primum folium irrepsere, miror; sed tamen  
non miror, cum amanuensis tui obscuram, etsi  
forte elegantem scriptionem attendo, adeo ut tuam  
ipsius auctoris malim. At vero emendari menda  
ista curabo, ne in principio appareat hic lapsus.

In *Letaeus* aspirationem omissam facile prudens  
lector ignoscet. In autographo vestro *Labirynthus*  
legi et *Lethum*, agnosco. Sed ignoscat mihi  
Reverentia Vestra: non aliter quam *Labyrinthus*  
scribendum Graeci docent; *Letum* sine aspiratione  
Manutius probat aliique qui de orthographia  
scripsere. Similiter in *Cygneus*, *Phaebeus*, *Erebeus*,  
*Apelleus* diphthongus iudicio ommissa, quia Graeci  
per ei, non per ai scribunt. Expectabo quae in his  
foliis Reverentia Vestra deprehenderit, priusquam  
libelli exemplaria colligantur; atque operae pretium  
erit folia interim plenius exsiccari, ne a bibliopegi  
malleo vitientur. Pretium *Magdalenae* sunt octo  
asses nostrates. Vale, Reverende in Christo Pater.  
Antverpiae in officina Plantiniana, XXI Maii 1625.

[cfr. ibidem, p. 195: Balthasar Moretus Iohanni





Woverio, 1 VII 1625: Amplissime Domine, (...) Postrema ex illa [sc. Typographia Plantiniana] prodiit P. Balduini *Magdalena*, cuius exemplar in meliorem partem et amicitiae nostrae testimonium accipere te rogo. (...) Antverpiae, in officina Plantiniana. Kal. Jul. 1625]

**b.** Mutius Vitelleschi, Praepositus Generalis S.J. [Roma], ad P. Balduinum Cabillavium [Casletum], 23 VIII 1625 (partim edita<sup>1</sup>; servatur Romae in archivo S.J., Fl.-Belg. 4, pp. 688-689)

Casletum P. Balduino Cabilliavo.

Cum litteris Reverentiae Vestrae 3 Julii datis accepti poemata sua de S. Maria Magdalena typis excusa, quae mihi admodum grata accidere, eaque in mensa mea asservo et horis subcisivis aliqua ex iis cum voluptate lego. Si quid deinceps in iis notavero, de quo Reverentiam Vestram monendam iudicabo, faciam illud ea fiducia, quam mihi dat Reverentiae Vestrae virtus; quam credo non illibenter<sup>2</sup> intellecturam, si quid in opere suo sit quod merito reprehendi possit, ut idem in reliquis, quae adhuc polienda habet, evitare possit. Ceterum quod Reverentia Vestra petit ut, cum tam multa affecta habeat, quae in lucem, si licuerit et vita suppeditaverit, edere vellet, commorationem ad scribendum commodiorem pauloque plus ab aliis occupationibus otii ipsi procurem: de magis commoda commoratione iam alias ad Patrem Provinciale scripsi itemque libens scribam; sed ut Reverentiam Vestram, quamdiu per valetudinem viresque corporis poterit, ab aliis consuetis Societatis officiis liberem non puto (quod a Reverentia Vestra in bonam partem accipi velim) expedire ut faciam, cum timendum sit ne studium divinae gloriae et salutis proximorum, consuetis instituti nostri officiis procurandae, magnopere intepescat, si semel in Societate nostra receptum fuerit ut scribendi occupatio iusta ad detrectanda]s[ alia officia causa existimetur. Quare, quamdiu aetas et vires ferent, Reverentia Vestra pergat, uti adhuc fecit operam suam, in consuetis Societatis muniis obeundis sese occupare, satisque ipsi sit quod ab illis vacui temporis supererit limandis poliendisque operibus affectis impendere. Interim ego non omittam Patri Provinciali Reverentiae Vestrae studia commendare eumque hortari ut et habitationem commodiorem et officium etiam, quod minus eam impe[n]diat, procurare velit. Atque hisce me sanctissimis Reverentiae Vestrae sacrificiis etc.<sup>3</sup> Romae 23 Aug. 1625.

**c.** Mutius Vitelleschi, Praepositus Generalis S.J.

[Roma], ad P. Balduinum Cabillavium [Antverpam<sup>4</sup>], 16 XII 1634 (inedita; servatur Romae in archivo S.J., Fl.-Belg. 5, p. 476)

Antverpam Patri Balduino Cabillavo.

Gavisus sum valde Reverentiam Vestram eiusmodi Censores<sup>5</sup> suorum operum esse nactam, qui tam diligenter ac sedulo suam operam Reverentiae Vestrae commodarent. Idem, uti spero, etiam in posterum eundem laborem libenter in se suscipient, siquidem ea de re iam Patri Provinciali<sup>6</sup> scripsi et ut necessaria subsidia ad reliqua etiam opera in ordinem redigenda suppeditaret commendavi. Nunc quia ista poemata tantopere aliis probantur, magno animi desiderio illa exspecto. Reverentia Vestra opus maturet, Deumque mihi sanctissimis suis sacrificiis et orationibus semper mihi magis magisque propitium reddat. Romae 16. Dec. 1634.

[cfr. archivum S.J., Fondo Ges. 656, f. 209 (olim 161): censura Jacobi Libens S.J. de elegiis Cabillavianis:

Admodum Reverende in Christo Pater, Pax eiusdem.

Elegias sacras<sup>7</sup> P. Balduini Cabilliavi accurate examinavi censor iussus a Reverendo Patre Provinciali, ac luce dignas iudico cum propter eruditionem, elegantiam geniumque vere poeticum, tum propter argumenti pietatem. Planeque mihi persuadeo cupide expetendas a litteratis magnamque Societati laudem allaturas.

Habet auctor alia non pauca opera, quae vidi, plane varia ac reconditae eruditionis, digna prelo futura, si vir doctus aequae ac sincerus quispiam vel dirigat vel corrigat.

Quod reliquum est, admodum Reverendae Paternitatis Tuae sanctissimis sacrificiis humillime me commendo. Antverpiae 22 Octob. 1634.

Admodum Reverendae Paternitatis Vestrae servus in Christo et filius Jacobus Libens.

(f. 209 (olim 161)v:) Admodum Reverendo Patri in Christo Patri Mutio Vitellesco Societatis Iesu Praeposito Generali Romae.]

**d.** Mutius Vitelleschi, Praepositus Generalis S.J. [Roma], ad P. Balduinum Cabillavium [Casletum], 11 VII 1637 (inedita; servatur Romae in archivo S.J., Fl.-Belg. 5, p. 757)

Casletum Patri Balduino Cabillaw.

Allatae tandem sunt Reverentiae Vestrae Heroum et Heroidum epistolae<sup>8</sup> et inter eos, quos oportuit,

distributae. Ego pro mea parte quantas possum Reverentiae Vestrae gratias ago et pro bono publico operam optime a Reverentia Vestra impensam esse existimo. Versus enim pulchre fluentes sunt et nativa sua volubilitate argumentique suavitate delectant legentem. Merces praecipua a Deo erit, pro cuius gloria laboratur. Ego eundem precor ut ampla sit et aeterna. Et de cetero me Sanctissimis Reverentiae Vestrae etc.<sup>9</sup> Romae 11 Julii 1637.

ADNOTATIONES

- <sup>1</sup> Cfr. J.-Y. Boriaud, 'Rome et les poètes jésuites de la province flandro-belge pendant la première moitié du XVIIe siècle. L'exemple de Baudouin Cabilliau et de Hermann Hugo', in G. et G. Demerson, B. Dompnier, A. Regond (edd.), *Les jésuites parmi les hommes aux XVI et XVIIe siècles. Actes du colloque de Clermont-Ferrand (avril 1985)*, Faculté des Lettres et Sciences humaines de l'Université de Clermont-Ferrand II, N.S., 25 (Claromonte, s.a.), pp. 407-415 (p. 414 adnot. 8).
- <sup>2</sup> adverbium non antiquum: cfr. R. Hoven, *Lexique de la prose latine de la Renaissance* (Lugduni etc., 1994), s.v.

- <sup>3</sup> et orationibus commendo.
- <sup>4</sup> Cabillavius anno academico 1634-1635 in collegio Casletano vixit, at ultimos anni 1634 menses a muneribus solitis vacavit, ut epigrammata quaedam sua typis Antverpiensibus adornaret: cfr. Th. Sacré, num. 45, in H. Meeus (red.), *Ad Maiorem Dei Gloriam. Jezüïeten in de Nederlanden tijdens de zeventiende eeuw. Catalogus bij de tentoonstelling in de Centrale Bibliotheek van UFSIA 1 september - 4 oktober 1997* (Antverpiae, 1997), pp. 43-44.
- <sup>5</sup> Philippum de Zoete, Jacobum Libens, Lucam Diericx (ut opinor), qui omnes anno 1634 mense Octobri censuras suas Antverpia Romam miserunt: cfr. archivum S.J., Fondo Ges. 656, V, ff. 208-210 (olim 160-162)
- <sup>6</sup> Patri Friderico de Tassis S.J. (cfr. ibidem, pp. 475-6, epistola Generalis ad Provincialem, eodem die (16 XII 1634)
- <sup>7</sup> I.e. *Epistolas Heroum et Heroidum* (Antverpiae, 1636).
- <sup>8</sup> Vide adnotat. 7.
- <sup>9</sup> sacrificiis et orationibus commendo.

---

## DE SECTIS

SCRIPSIT IOHANNES VAN KASTEEL

**I**maginetur lector noster carissimus aliquod aedificium ubi sit collocata Sedes Publica pertinens ad Viros Reos Capitis Arguendos (S.P.V.R.C.A.). Libeat intrare et interrogare unam ex officialibus (satis formosam) quae humaniter auscultet:

- Salve, domina. Mihi est parvum problema. Hodie vespere ad theatrum visitandum una cum uxore mea ibo. Domum invitare volo vicinum meum ut, nobis absentibus, filias nostras curet octo et novem annos natas. Sed non pro certo scio utrum ille vir fide dignus sit necne.

- Problema tuum mox solvetur, domine. Inspiciam ordinatum. Quod est vicino tuo nomen?

- Marcus D. ille vocatur.

- Quaeramus... Al inveni. Quid legitur? «Marcus

*D.: vir facinorosissimus et periculosissimus. Duas parvas puellas in cellula subterranea inclusit. Auctor est mortis quattuor puellarum. Maxime vitandus.»*

- Nonne mihi dissuadere videris ne eum domum accipiam ad filias meas curandas?

- Ita est, domine. Maxime tibi talem rem dissuadeo. Periculum est maximum ne ille vir eas interficiat.

- Ergo certe alium quaeram. Gratias, domina. Vale.

- Vale, domine. Optimum spectaculum vespertinum tibi exopto.

Dialogus huius generis impossibilis factu videtur? Difficile quidem est imaginari haec omnia Latine dici; ceteram rem in Belgio mox fieri posse credas oportet.

Nam homines politici Belgici nuper statuerunt sedem publicam erigere pertinentem ad sectas indicandas. Omnia quae sciuntur vel sciri creduntur de variis sectis eo colligentur ut liceat cives certiores facere de earum modis vivendi, ordinandi, cogitandi, docendi, agitandi. Quod autem maxime mirandum est, quosdam ex eis politicis inter nuntios radiophonicos auscultare licuit explanantes, serio ac graviter, ea sede posse fieri ut civibus sollicitatis necnon curiosis denuntiarentur eae sectae quas nocivas dicere oporteret, i.e. quarum membra modo iniquo, immo scelesto agerent, scilicet multam pecuniam sibi parando, homines aliis methodis decipiendo, familias destruendo, vim psychologiam et physicam adhibendo, infantes vexando violandoque.

Numquam res absurdiores audire licuit. Num delirant politici? Minime, vel fortasse non plus quam pleraeque sectae quas per se periculosas esse mihi persuasum non est. Problema sectarum, quod dicitur, videtur magna parte a factionibus politicis creatum esse, aut certe arreptum ad alios scopos adipiscendos.

Res publica enim in qua libertati succedit licentia, ubi virtutes cedunt vitiis, instituta collabuntur, disciplinae corruunt, ipsa quoque paulatim mutatur e libera in tyrannidem. Bene notus est ille locus Tullianus: *«Ex hac nimia licentia, quam illi (i.e. cives) solam libertatem putant, ait ille (i.e. Plato) ut ex stirpe quadam existere et quasi nasci tyrannum. Nam ut ex nimia potentia principum oritur interitus principum, sic hunc nimis liberum populum libertas ipsa servitute adficit. Sic omnia nimia, cum vel in tempestate vel in agris vel in corporibus laetiora fuerunt, in contraria fere convertuntur, maximeque id in rebus publicis evenit, nimiaque illa libertas et populis et privatis in nimiam servitutem cadit. Itaque ex hac maxima libertate tyrannus gignitur et illa iniustissima et durissima servitus.»* (De Re Publica I, 68).

Mutatio illius generis iam in re publica Belgica fieri incepit. Nam etsi quaedam sectae sine dubio dici possunt nocivae, manifeste verba gestaque politica magis magisque fiunt contra sectas fere omnes sive nocivas sive innoxias sive etiam optimas. Hic bene intellegendum est illud vocabulum *sectae* cuius sensum raro fit ut politici et diurnarii clare definiant, nec sine causa.

Etenim *secta* primum significat actionem *sectandi*, *sequendi* scilicet ducem vel magistrum vel doctrinam, sive in rebus politicis sive in philosophicis vel religiosis vel ethicis, etiam medicinalibus, iuridicis, immo criminalibus. Unde vocabulum indicat turbam quoque *sectatorum* vel fautorum alicuius ducis, disciplinae, regulae.

Erant ergo antea sectae politice optimatum et popularium, Marii et Sullae, Caesaris et Pompeii; philosophice Epicuri, Pythagorae, Platonis, Zenonis; religiose Cybelae, Bacchi, Mithrae, Christi; medice Hippocratis; et ceterae.

Hodie res non aliter se habent: sectae politicae sunt illae partes bene notae q.n. P.R.L., P.S., C.V.P.; philosophicae vel religiosas, Caementariorum Liberorum, catholicorum, monachorum, agnosticorum; medicinales, fautorum medicinae traditionalis quae dicitur, homoeopathiae; quae pertinent ad linguas, fautorum Esperanticae, Latinae vivae; et ceterae.

Vocabulo igitur sectae minime est sensus neque probus neque vilis vel depretiatus. *Sectarii* politici necnon, ut fatendum, religiosi id bene sciunt sed, ut iam diximus, data opera abstinent a voce definienda qua magis magisque utuntur ad omnes homines congregatos insimulandos qui non sunt suarum factionum.

Hoc interdum clare apparet. Quidam vir catholicus bene notus e.g. scripsit Ecclesiam non esse, sicut aliquando auditur, *«sectam cui res optime successissent»*; tamquam diceret Christianos non esse sectatores neque Christi neque papae neque cuiusvis sive dei sive hominis. Eodem modo quidam vir politicus radiophonice dixit, fortasse nimis ingenuae, vocabulum sectae certe exacte definiendum esse, ita autem ut partes politicae non in sectis includerentur quia hoc esset intolerabile.

Verba huius generis apertissime manifestant voluntatem politicam paulatim omnes sectas, sive associationes, globos, sodalicia mox vetandi, sicut in rebus publicis totalitariis vel dictatorialibus fieri solet; omnes exceptis sectis politicis quibus est potentia.

Creatio illius sedis publicae ad sectas pertinentis videtur esse, potius quam modus populi certioris faciendi de periculis quae aut imaginaria sunt aut, si vera essent, iam multo antea omnibus modis fuisent oppugnanda, re vera methodus hominibus paulatim persuadendi associationes ipsa re esse omnes suspectas et abolendas necnon eos adducendi ad istam consuetudinem exsecrabilem quae vocatur *delatio*.

Res nova non est in historia humana, sed semper aeque formidanda. 🐞

## DE MUNERIBUS SERVORUM (II)

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

Quod attinet ad servas, maximam partem praeda erant militum Romanorum, aut acquisitae a Romanis «urbanis». Maximam partem muneribus fungebantur domesticis: una cum domina ante colum, ante iugum sedebant, lanam faciebant, sarciebant, dominam comitabantur foris, catastam ponebant ante lecticam, ut domina melius inscendere aut descendere posset, umbellam porrigebant imbre cadente, flabellum porrigebant sole ardente, calceis eam induebant eosve mutabant. Quo maior numerus servarum, eo maior auctoritas dominarum in publico. In convictibus civium ditiorum servae excolebantur ac tali modo e.g. bibliothecariae, praelectrices sunt factae.

Serva in omnibus vitae campis oboedientiam debebat domino, cui licebat necessitudines libidinosas habere cum serva; servae talia recusare non licebat. Domino licebat servam locare in lupanaribus, in cauponis, in balneis publicis. Cato e.g. ille censorius uxore mortua omni nocte tales habebat necessitudines sexuales cum quadam serva sua. Augustus et Claudius imperatores cum multis dormiebant ancillis. Livia imperatrix marito suo Augusto saepius ancillas pulchras adduxit deflorandas (Suetonius: Augustus).

Servus pars rei erat familiaris; nihilominus autem tamquam homo cuiusdam naturae quaedam operas praestare poterat; sui iuris autem non erat.

Servi servaeque res erant mercaturae (= commercii), quasi essent autoraedae. Autoraedam si emis, litterae vehiculares tibi traduntur. Servum si emebas - prima vice - chartas eodem tempore obtinebas pertinentes ad servum: ad aetatem, originem, statum, ad indolem etc. Servi oblati in mercatura sine tali charta pilleo erant induti.

Serva occasione venditionis gravida quodammodo minoris aestimabatur quamquam fertilitas generatim servae plurimi aestimabatur. Multorum emptorum erat servam fertilitate acquirere incipiente. De aetate autem servarum acquisitarum nil fere scimus. Aetas ancillarum media tunc temporis erat inter 22 et 25 annos, qua ex re concludere licet servas fertiles talis aetatis maximi fuisse momenti ac acceptissimas. Domini strati socialis inferioris generatim servas infantulas

emebant sive tamquam infantes a parentibus expositas tollebant arteque quadam educabant, cum excultae in mercatu pluris constarent.

In domibus urbanis vernae familiae urbanae educari solebant multis muneribus domesticis in convictu domestico necessariis. Nonnumquam servorum infantes a dominis suis divitibus in praedia mittebantur educationis causa, cum maior pars servitutis ibi essent servae, quibus domini suadebant, ut infantes quam plurimos parerent, quia tali modo operis eximerentur aut maturius manumitterentur. Nonnulli domini infantes feminarum manumissarum retinere solebant tamquam proprietatem suam.

Statu liberae servae erant, quae secundum condicionem quandam in testamento constitutam liberari solebant ab herede domini, servae ergo manebant usque ad condicionem expletam. Infantes a talibus feminis parti proprietatis fiebant heredis; nonnumquam agebatur de quodam numero constituto infantium pariendorum. Alia condicio manumissionis copia quaedam pecuniae persolvendae erat. In quibusdam ergo testamentis alternativa constituebatur: infantes parendi aut pecunia persolvenda se redimere. Ius generale non exstabat: omnia dependebant a benevolentia domini.

### PROLES SERVARUM

Non modo pecunia et agri et pecora procreabant «fructus», sed etiam servae, quarum usus fructus ad dominum pertinens etiam in testamento manumissoris constitui solebat.

Matres et infantes venditione persaepe separari solebant. Si serva erat surrepta, abducta, nihilominus cum infantibus proprietatis manebat domini. Infantes autem post venditionem parti emptoris erant. Servi - quasi essent animalia - emebantur, venibant, hereditate relinquebantur; proprietatis prolis pertinebat ad novum possessorem. ☛

*(sequetur; in proxima symbola  
agetur de rationibus inter servos)*



# LITTERAE HEBRAICAE CUM LATINIS CONIUNGUNTUR!

NUNTIAT ROBERTUS DEPREZ

**C**ommentarii periodici quibus titulus originalis est *Le Billet d'Inématov* quater in anno iam Francogallice et Nederlandice editi de omnibus tractant argumentis, quae ad sermonem cultumque Hebraicum necnon ad necessitudinem inter litteras Hebraicas et cultum civilem occidentalem pertinent. Nunc et versio Latina divulgabitur: ita disciplina Hebraica iterum (sicut tempore renascentium artium litterarumque) lingua humanistarum, qui dicuntur, exprimetur. Constat enim multos homines doctos linguarum classicarum fautores disciplinam illam Hebraicam colere sed separatim, lingua sua vernacula utentes, atque tale instrumentum iam dudum desiderare.

Nomen *Inématov* contractio iocosa est verborum Hebraicorum *hinneh mah-šov* (Latine *ecce quam bonum*) quibus psalmus 133 incipit: *ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum* (Ps. 133 [132], 1). Verba illa cum ad gaudium eorum qui divitias traditionis Hebraicae reperiunt tum ad fraternitatem inter homines et praesertim inter Iudaeos et Christianos studiis Hebraicis fovendam applicantur. Commentariorum libelli simpliciter ordinatro conficiuntur, ut omnes qui cupiunt parvo pretio eos accipere possint. Subsidia

ad linguam Hebraicam discendam docendamve offeruntur. Quotiescumque verba Hebraica citantur, primum litteris Hebraicis exarantur, deinde litteris Latinis transcribuntur, denique in Latinum convertuntur. Ita et linguae Hebraicae periti et ii qui vix quicquam vel nihil sciunt possunt pro suo gradu omnia perutiliter legere.

Omnibus qui humani nihil a se alienum putant *Folia Inematov* valde commendantur!

*Editor responsalis:*

M. J.J. Bailly, Cours Marie d'Oignies, 37 – B-1348 Louvain-la-Neuve

*Ab epistulis Latinis:*

Dr R. Deprez, rue de Piétrain, 2 – B-1370 Jodoigne. Tel. +32 10 81 13 17

*Annualis subnotatio (4 fasciculis):*

in Belgica: 250 FB mittendi sunt computo argentario 310-0274225-92 editoris; in ceteris nationibus: mittat quisque in involucro assignationem Europaeam (Eurochèque) 250 FB vel scidam nummariam nationalem eandem pecuniae summam adaequantem vel scidam 5 \$ eidem editori J.J. Bailly.

*Exemplar gratuitum omni poscenti libenter mittetur.*

---

## OPUS USUI LINGVAE LATINAE DICATUM

PRAENUNTIAT SOCIETAS LATINA

**S**ub prelo sunt Caelestis Eichenseer *Miscellanea usui linguae Latinae dicata*, ubi de elementis quaestionibusque circumspecte diserteque agitur, quae spectant ad hodiernum recentissimumque usum linguae Latinae sive prudenter recuperandum sive necessario exercendum.

Itaque hoc volumine symbolae continentur dispersim divulgatae, sed denuo retractatae atque, ubi necessarium id videbatur, auctae et amplificatae. Nam agitur de vocabulorum usu, de verbis temporalibus convenientissime novandis, de accentibus Latinis etiam vocabulorum Graecanicorum (velut aeroplani) et nominum Hebraicorum, de nominibus dierum hebdomadaliū, de

horologiorum horis indicandis, de numeris annorum adhibendis, de compluribus aliis quaestionibus et rebus, quae spectant ad indigentias temporis nostri contemporanei.

Idcirco diligentissime et comprehensive in rationes neologismorum congruenter condendorum et creandorum inquiritur, ubi de novis instrumentis generis diversi denominandis agitur similiterque de machinis recentissimis designandis, verum etiam de non paucis subtilitatibus differitatibusque vitae scientiaeque modernae.

Denique cuncta testimoniis satis multis satisque validis confirmantur et comprobantur, quo fiat, ut recens sermo Latinus normis regulisve

antiquis sit conformis insuperque condicionibus modernis cognoscatur esse satis habilis.

Hic liber trecentarum fere paginarum in Saravipontana sede Societatis Latinae venalis prostabit pretio triginta fere marcarum, cuius


inscriptio cursualis est haec:

Societas Latina  
Universität des Saarlandes - FR 6.3  
D-66041 Saarbrücken

## DE VERSIONE LATINA HISTORIAE CLARISSIMI EQUITIS ITINERANTIS DOMINI QUIXOTI A MANICA RECENTISSIME EDITA

NUNTIIUM MISIT IOSEPHUS M. SANCHEZ-MARTIN

**M**axima laetitia omniumque plausu sodalis Circuli Nostri Latini Matritensis Antonius Pirus iucundam accuratissimamque uersionem Latinam operis litterarum Hispanicarum sane maximi in quam plures abhinc annos diligentissime incubuerat nuperrime confecit. Haec pulcherrima editio, a quadam domo editoria Matritensi typis mandata iamque publici iuris facta omnibus Latinitatis cultoribus uenalis prostat. En uobis huius uersionis praeconium ab ipso auctore conscriptum ut eius scopus monitumque omnibus pateant:



«Nuper Compluti (i.e. Alcalá de Henares) iuxta Matritum, urbem principem totius Hispaniae, in lucem ediderunt HISTORIAM DOMINI QUIXOTI A MANICA, et quidem Latino sermone. Hic liber ut uidetur est prima uersio rerum gestarum Domini Quixoti huiuscemodi et uult aliquo modo uerba auctoris Michaelis a Ceruantes adimplere, quia ipse dixit hunc librum in omnes linguas, praesertim in Graecam et Latinam, traducendum esse, sed hucusque uersio Latina nondum facta erat. Secundum uerba Introductionis, haec uersio uult tantummodo ostendere lectori textum simplicem ita ut plures possint huic lectioni uacare. Nihilominus hic manet quaedam difficultas, quia in Hispanico sermone hic liber peruenit ad optimum modum dicendi et factus est exemplar dictionis linguae Hispanicae omnium temporum. Alia ex parte in hoc libro inuenitur magna diuersitas quoad modum dicendi, nam Dominus Quixotus aliquando imitatur ueterem sermonem equitum mediaeualium tum loquendo

in contionibus de litteris et armis siue de aetate aurea, tum in descriptionibus equitum itinerantium, tamquam illa Equitis de Lacu, mirum in modum loquela Sanctii Pansae apparet plena prouerbiorum. Etiam accedit hoc modo Marcella quae proponit suam defensionem, siue Cardenius qui narrat suam miseram uitam cum Luscinda, et Dorothea idem facit decepta a domino Ferdinando et Anna Felix capta amore Gregorii quae euasit mortem in portu Barcinonis et ad has res gestas accedit gubernatio Sanctii Pansae in Insula Barataria cum sapidis et sapientibus iudiciis et fabella inuidi mariti importuni et altera captiui qui redolet uitam ipsius Michaelis a Ceruantes inter Mauros. Hac magna diuersitate fit ut lector incumbat in has historias tamquam si legeret narrationes nubeculatas illius temporis et eodem modo inuenit plures rixas, nonnulla commentaria de urbanitate siue de modo sese gerendi, et eodem modo audit auctorem loquentem de arte poetica, de comoediis, de scrutatione librorum equitatus itinerantis et sic legit multa ficta incantamenta et innumeras res gestas, quae ducunt lectorem ad nouas chimaeras quibus possit iucundum oblectamentum inuenire. Haec uersio tantummodo uenit ad uacuum adimplendum inter tot alias uersiones quae in hodiernis linguis factae sunt, et immo artem poeticam auctoris imitare uoluit.»

*In his locis uerum datur:*

Liber enim septingentarum quattuordecim paginarum sex milibus et quingentis nummorum Hispanicorum (sc. pts.) constat. Huius libri exemplaria petantur siue a taberna libraria Aurea siue a domo editoria Gredos, quarum inscriptiones cursuales infra adnotantur:

- Librería «Aurea», C/ Almansa, 3, bajo interior, E-28039 Madrid; tel. 915335818, telecop. 915336685;

- Editorial Gredos, C/ Sánchez Pacheco, 81, E-28002 Madrid; tel. 917444920, telecop. 915192033.




## NOVAE FERIAE LATINAE

Aliquid paulatim animadvertimus: una pagina non iam sufficit ad conventus Latinos nuntiandos. Ubique terrarum plures pluresque homines congregantur ut Latine loquantur. De hac re gaudendum est! Ecce novae Feriae Latinae, quae a die 9 usque ad diem 15 m. Augusti fient in Slovenia non longe ab urbe Labacho. Haec vobis promittunt moderatores: «Tempus erit nobis iucundissimum: Latine loquentes, acroases audientes, carmina sacra ac profana cantantes et variis ludis atque rebus iocosis gaudentes quinque dies mirabiles consumemus.»

Qui plura scire cupiat, scribat ad:

Filozofska fakulteta  
 Oddelek za klasično filologijo (za: Feriae Latinae)  
 Aškerčeva, 2  
 1000 Ljubljana  
 SLOVENIJA



### LIBRI

**Ratio Studiorum. Plan raisonné et institution des études dans la Compagnie de Jésus, édition bilingue latin-français présentée par A. Demoustier et D. Julia, traduite par L. Albrieux et D. Pralon-Julia, annotée et commentée par M.M. Compère, Parisiis, Belin, 1997, 314 p.**

Vos, qui historiam artis didacticae colitis, nolite hanc novam Rationis Studiorum editionem praetermittere: non solum praebetur textus Latinus, qui aliter haud facile invenitur, sed etiam, praeter versionem Francogallicam, longa introductio historica, multae explicationes quae pertinent ad intellegentiam textus et index verborum. Liber magni momenti, sicut XVI saeculo et diu postea fuit Iesuitarum Ratio Studiorum.

**Th. LINDNER, *Lyra Latina. Carmina LX*, Vindobonae, Praesens, 1997, 78 p.**

Haec altera editio carminum a Thoma Lindner exaratorum placebit animis poeticis, qui hac Musa procul dubio tangentur. Proponitur etiam translatio nonnullorum excerptorum Odysseae, cuius ecce initium: *Insece, Musa, virum mihi versutum atque repulsum  
 Saepe mari, sacram quoniam subverterat urbem.  
 Multorum mentes hominum cognovit et urbes,  
 Multos corde suo duros toleravit in alto,  
 Semet conservans et amicos, ille dolores...*

**Roma. Ausgabe A in vier Bänden, Buchners Verlag, 1997.**

Librum secundum huius seriei scholaris ad nos misit Villius Pfaffel coactor, sic ostenturus qua ratione discipuli Bavari linguam Latinam discerent. Et feliciter studere videntur: pulchris imaginibus fruuntur iucundisque textibus, longis, non nimis difficilibus, quibus grammatica exerceatur. Nam consuetudinem legendi et intellegendi acquirere, hoc est primum. Quid prodest ab initio sudare in tribus lineis originalibus laboriose explicandis?

*Ultimo temporis momento duos libros, qui nunc sunt sub prelo, nuntiare possumus:*

- Sigridis ALBERT *Imaginum Vocabularium Latinum*, ed. Societas Latina

- Ieremiae GOTTHELF *De Aranea Nigra*, in Latinum vertit Nicolaus Gross, ed. Melissa.

*De quibus mox plura !*

## ANNIVERSARIUM

Prof. Iohannes Irscher nos certiores facit de centesimo anniversario studiorum classicorum in Universitate Serdicensi, in urbe capite Bulgariae, nuper celebrato. Ipse ad hanc celebrationem invitatus orationem habuit multosque Bulgaros commemoravit, qui studiis classicis intra unum saeculum inservierunt. Nos adhuc multa et felicia millennia eis exoptamus!

# LATINE LOQUI ...

## AESTIVA ROMAE LATINITAS

Octo hebdomades studiorum linguae perennis auctorumque 2000 annorum, cum excursionibus! **A die 8 m. Iunii in diem 1 m. Augusti a. 1998** in Ianiculo Romae, prope Sanctum Pancratium.

Qui participare cupiant scribant ad: Reginaldum Foster, Piazza S. Pancrazio 5 A - I-00152 Roma  
Tel. 0039-6 58 54 02 06, telecop. 0039-6 58 54 03 00

## IN AMERICA: DUO CONVENTICULA LATINA!

Duo Latine loquentium conventus anno 1998 Lexingtoniae in civitate Kentuckia habebuntur, quorum **primus a mensis Mai die 24 usque ad 31, alter a mensis Iulii die 23 usque ad 31** celebrabitur.

Qui participare cupiant scribant ad: Terentium Tunberg - Department of Class. Languages,  
1015 Patterson Office Tower - University of Kentucky  
Lexington KY, U.S.A. (clatot@pop.uky.edu)

## LATINE LOQUI - ROMANE COQUERE

Haec Septimana Amoeneburgensis fiet in Hassia **a die 19 in diem 25 m. Iulii a. 1998.**

Qui participare cupiant scribant ad: Thomam Gölzhäuser, Kleeberger Str. 40 - D-35510 Butzbach  
Tel. 0049-6033 16557

## FERIAE LATINAE

a P. Suitberto Siedl conditae fient:

- Tinniae in Carinthia **a die 25 m. Iulii in diem 1 m. Augusti a. 1998.**

Qui participare cupiant scribant ad: Kath. Bildungsheim Sodalitas, A-9121 Tinje / Tainach

- Nicaeae ad litus Mediterraneum **a die 17 in diem 22 m. Augusti a. 1998.**

Qui participare cupiant scribant ad: Clementem Desessard, Résidence des Collines, C9,  
500 rue Leo Brun - F-06210 Mandelieu

## SEMINARIUM PRAGENSE

ab associatione c.n. L.V.P.A. (i.e. Latinitati Vivae Provehendae Associatio) institutum fiet **a die 31 m. Iulii in diem 7 m. Augusti a. 1998.**

Qui participare cupiant scribant ad: Ingam Pessarra-Grimm, Nordstrasse 39, D-59174 Kamen  
Telephorum et telecopiatrum: 0049-23 07 15617

## SEMINARIUM LATINITATIS VIVAE HELVETICUM MORSACENSE

Morsaci in Helvetia, Dr P. Caelestis Eichenseer et D.rix Sigrides Albert participes scienter et delectabiliter inducunt ut Latine loquantur. **A die 2 in diem 8 m. Augusti a. 1998.**

Qui participare cupiant scribant ad: Societatem Latinam, Universität FR 6.3 - D-66041 Saarbrücken

## PROXIMUM SEMINARIUM BELGICUM FIET IN... HISPANIA!

Rogitantibus Hispanis Latinistis, iam diu agebatur de quodam seminario Latinitatis vivae instituendo in Hispania. Quod usque adhuc variis de causis fieri non potuit, nunc autem iam instat fietque **a die 18 in diem 25 m. Augusti a. 1998.** Ibi frui licebit Latina institutione D.ris P. Caelestis Eichenseer, cui est huius rei diuturna et mirabilis experientia, et D.ricis S. Albert, quae tirones delectabiliter allicere solet ad colloquia Latina.

Qui participare cupiant scribant ad: Gaium Licoppe, Avenue de Tervueren 76, B-1040 Bruxelles

## LINGUA LATINA - SPECULUM EUROPAE MODERNAE

Hoc symposium Latinum III instituetur ab Academia scientiarum internationali Sanmarinensi, Arimini **a die 31 m. Augusti in diem 4 mensis Septembris a. 1998.** Thema erit «Lingua Latina - lingua internationalis».

Qui participare cupiant scribant ad: Veram Barandovská, Kleinenberger Weg 16 - D-33100 Paderborn  
tel. 0049-5251 163522, telecop. 0049-5251 163533